

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4654

1993

H O M I L E T I C I .

1994

bus immorari non est operae pretium.

DCCCXIV.

U. 68 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. 4. currente, et, ut videtur, ipsius Autoris calamo perscriptus. Collectio est sacrarum Dictionum ad Populum M. Petri Reicher de Pirchenwart Canonici ad D. Steph. Rectoratu Acad. bis annis 1425. et 31. functi, et an. 1436. mortui. Habitae sunt illae ab a. 1420 — 36. nulloque temporis ordine coagmentatae, sed in fol. praevio manus aliquantum posterior ad tempus ecclesiasticum eas redegit. Plures earum in fronte gerunt et annum, quo; et locum, ubi propositae sunt, puta ad S. Stephanum, ad Portam Coeli &c. Materia Poenitentiae prolixissime omnium tractatura fol. 221. ad fol. 245. In Sermone Dom. IV. post Trinit. ad S. Stephanum a. 1431. habito calamitates Husitiae describuntur, memorantur missi in Almaniam propterea Cardd. Placentinus, Ursinus, et nunc Julianus dictus S. Angeli, item auctoritas praedicandae Crucis facta Domino Olomucensi, ipsa demum Bulla fol. 104. pronunciatur. Thecae anteriori inscriptum: Liber Collegij Ducalis Wyen.

DCCCXV.

U. 199 Codex chartaceus lat. partim XIV. partim XV. Sec. Folior. 450. 4. consarcinatus e diversis Scriptis, quorum magna pars ad-

modum difficulti manu exarata est, hunc in anteriore Theca Titulum praefert: *Posiciones magistrorum. Questiones naturales. Principia sententiarum. Collaciones ad clerum. Prioribus e Logica, Metaphysica et Physica Aristotelis petitis immorari non est operae pretium. Pertingunt haec usque ad fol. 371. admixtis etiam quibusdam Quæstionibus theologicis. Ad Academiam Vienn. pertinere docent Magistrorum Nomina hinc et inde obvia, quae pro aliquo Historiae illius literariae supplemento servire possunt. Notissima sunt Theodoricus Rudolphi de Hamelburg, Petrus de Pulka, Job. Angerer de Meldorf, de quo fol. 264. cras hora octava incipiet legere primum librum Euclidis in lectorio ordinario, Cristannus de Grecz Regine, Job. de Gmunden &c.*

A fol. 302. jam etiam miscentur Prolusiones, aliique Sermones Academicci in Collatione graduum habitu cum Problematis simul disputatis, quorum unum fol. 325. ita subscribitur: *Posicio per quam respondi M. Sebaldo (de Ravenspurg?) Licenciato in Medicina Studij Montispeßulani et M. in artibus studij Wienn. Anno 1415. et pro tunc fui Decanus immensis facultatis Arcium. Loquitur hic Johannes Angerer supra et saepe alias nominatus, Praepositus deinceps Gurnitzensis in Carinthia et a. 1432. mortuus, unde recte concluditur plurimas harum Allocutionum ab illius calamo profectas esse.*